

I. N. J.
TEMPLI XENO-

DOCHIALIS
Onomathesiam & ædificationem

historicè evolvit,
insimulque
ad

Actum Encomia-
stico · Valedictorium,

in
ILLUSTRI CURIANO
d. 16. Decembris 1692. H.L.Q.C.
habendum,

CURIANÆ URBIS PROCERES
& literarum Fautores quoscunqve
decenter invitat

M. Jo. Christophorus Weiß / Gymn. Rector.

Literis Minzelianis.





Andem ad Xenodochii Templum moliendus accessus est. Hujus memorabilia ut facilius æquè atque brevius perlustremus atque percurramus, glaciem jam fregit nobis Vir Plurimum Reverendus atque Amplissimus, Dominus Nicolaus Meyer, Pastor Ecclesiæ hujus meritisimus, in succincta, quam conscripsit Relatione. Cujus cõ majores debemus grates, quò pauciora sunt, quæ ex Widemanno nostro, (fortè ob incendiis 1299. omnia absumentis, perniciem) de hoc utroque Templo, licet afferre. Duo enim Tempora fuere: unum B. Mariæ, 14. Opitulatum alterum. Majus illud, quod antiquissimum putamus, num duo gesserit nomina, unã cum ipso Xenodochio, Spiritus S. scilicet & B. Mariæ? probare videntur sequentes literæ Henrici Advocati de Plauen A. 1302. his verbis perscriptæ: *In Nomine Domini Amen. Nos Henricus Senior, & Henricus Junior, Advocati de Plauen, universis presentem paginam inspecturis cupimus fore notum, quod agros VI. Sitos apud antiquos Leprosos. & VI. Sitos apud rotam prope Civitatem Curiam Regni, quos antiquus Herdeinus (Herdegen) quondam à nobis in feudum detinuit, HOSPITALIS ANCTI SPIRITUS ET D. MARIE VIRGINIS, prædictæ Curie civitatis, purè propter Deum, & in Salutem animarum nostrarum, conceulimus & donavimus, jure proprietatis, & debita seu quietæ possessionis perpetuò possidendum, Testes hujus rei sunt Dominus Tosso, Dominus Valricus Saccus, milites; & Conradus dictus Moschiller / & Henricus Insitor, cives nostri in Plauen, & alii quam plures fide digni. In hujus autem rei perenne testimonium presentem paginam, anno Domini M. CCC. II. proxima die Dominica dedimus, nostrorum Sigillorum munimine roboratum.*

Ubi obiter notetur Saccum illum, de quo in superiori Programmate actum, fuisse Nobilem, quia stilo tunc consveto milites dicebantur illi communiter, de quo supra. Aliæ tamen præstant literæ, Henrici Advocati de Wida, qui Xenodochio nostro modo allegata beneficia confirmavit, quibus Hospitale S. Mariæ

sim

simpliciter salutar. Ex quibus constat, hoc nomen vel im-
positione, vel amabilitate unicum fuisse. Idem testatur inscriptio
prothyro Xenodochii versus urbem 1581. addita & 1686. innovata:
Dies Haus steht in Gottes Hand / Zu unser lieben Frauen ist es genannt /
Huc etiam facit in ligne Xenodochii, quod in libro foundationis
pictum Mariam cum filio exhibet, sub qua pons & duæ villæ
conspiciuntur cum epigrapha:

Reginæ cœli qui servit mente fideli

Ex omni pœna trahit illum virgo serena.



Ejusdem B. Virginis icona etiam sigillum Epistolæ in scrinio
pauperum asservata, affixum refert, ita tamen, ut sub illa in lectu-
lo decumbentis cujusdam conspiciatur effigies. Unde ad ocu-
lum patet Deiparam fuisse Tutricem universi Xenodochii, ut &
ipsius Templi, cum & extra omne dubium positum sit, altare
quoque B. Virgini fuisse dedicatum, ornatumque olim icona li-
gnea, quæ nunc aræ sacrarii insistit, spissè satis deaurata. Ita
nullis pepercit sumtibus pia antiquitas, & Munifici Domini *Ζενάϊνος*
fundatores Domini Advocati de Plauen & Weida, Comites de

Orlamünde & Nobiles de Rabenstein, item Schützfeldius, civesq;
 alii, non ultimam opum suarum fecerunt, sed optima & selectissima
 prata, agros, prædia miseris Christi membris donantes, uti id ho-
 dienūm videmus. — o utinam filii ita in decus parentum ritè suc-
 cederent! *Tempus ædificationis nec W idemanno satis liquet.* Putat
 tamen circa annum 1268, sua sumisse initia, cum *Bertholdus* Epi-
 scopus *Babenbergensis* occupationibus præpeditus, dedicationem
 concesserit alii, inculpato cuiuscunqve Episcopo, A. 1268. d. 10. Cal.
 Junii datis literis, in quibus jam dudum exstructum adfirmat
 cœmiterium. Ipsum Xenodochium jam annum circiter 1260.
 fundatum credimus, quod literæ Urbani IV. Papæ, quibus *Eccle-*
sias Moguntinensem, Babenbergensem, Numburgensem, & Ratisbonensem
 admonet, ut ad *Hospitale pauperum in Curia Regni* opere sumtuoso erigi
 ceptum, *charitatis subsidia erogent, & PER hæc & alia bona, quæ fecerint, ad*
eternæ felicitatis gaudia studeant, pervenire, addita insuper commina-
tione: Præcipimus etiam vobis fidelibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & au-
toritate supra dicta nobis commissa; quatenus, visis literis nostris, prædictum
Hospitale spoliantes; atque bona pauperum sive fratrum violenter dedinen-
tes, quos excommunicamus, in Ecclesiis vestris excommunicatos publicè nun-
tietis, haut obscure inuunt: Datæ enim sunt Cal. Aprilis 1264. an-
no ipsi Papæ fatali, quo ad plures commigravit. Etsi igitur an-
 nus ædificationis primus nos lateat, uti & dedicationis, de enæ-
 niorum tamen tempore dubitare non sinit antiquus mos ac con-
 suetudo, quò Michaëlis prima post festum Dominicâ inaugura-
 tionis solennia ritè celebrantur. Reliquam ædificationis histori-
 am supra allegatum incendium absumsit; nec plura de Restau-
 ratione illius, post alteram *πανολαθραν*, ab hostibus partim, partim
 ab ipsis civibus sua defendentibus factam, licet afferre, nisi quod
 A. 1557. tectum, aram, suggestum &c. esse civium liberalitate refe-
 cta, & in aliquid restaurata ut & tabulatum, quod literæ E. S. olim
 mediæ columnæ cum Anno 1569, incisæ prodebant. Aliam
 hinc subisse mutationem, ad ætatem usq; nostram non legimus

ni-

nisi fortè aliqua in Capella opitulatoꝝ fuerunt reparata, de quo indicium videtur prodere numerus 1559. fenestꝛe lapideæ incisus cum literis E.S. quibus in alia fenestꝛa respondent N. W. interposita his, signi loco, lunâ. Ita igitur refectum quocumque modo templum ad nostra usque perduravit tempora, sine picturis, aliisque ornamentis, præter suggestum & Epitaphia ut & subsellia Exarchalia, (die Hauptmanns-Pohr) in quibus quatuor virtutes principes, cum Anno 1602 & insignibus Wildensteinensibus & Meychslreinensibus conspiciebantur, ita n. literas adjectas A. V. W. Adam von Wildenstein, & J. V. W. G. V. M. F. Juliana von Wildenstein/ gebohrne von Meychslrain Freyin/ interpretamur, cujus Baroniana insignia habentur part. I. Reichs-Wappen-Buch / p. 19. picta. Ceterum tabulatum, quod tribus inconditis nitebatur columnis, pluvia corruperat & putredo jam foedaverat, parietes etiam & reliqua ita squalore erant obducta, ut templum hoc balneo visum similis, quam sedi Divinæ & sacro Dei domicilio. Commotus ergò, ut *Nehemias olim super Jerusalem*, miserâ Templi facie supra laudatus Dominus Pastor, sub ipsa statim, officii sacri primordia de reparatione quadam cogitare coepit, nec sine Numinis quidem auspicio. Et non deessent, qui remoram injicere instituto, ut fieri solet, optimo nihil dubitarent, adjutricesque petenti manus, responderent; Si tantum pecuniæ sumtumque suppeteret structuro, ædificationem atque restaurationem templi nihil esse prohibitam; ceterùm ædes illas satis diu jam stetitisse, nec nunc quidem minari ruinam. Urfit tamen strenuè opus, & citra aliorum incommodum pulcherrimum coeptum egregiè Deo opitulante, & Præ-Nobilissimò Domino Superintendente de WALDECK assistente, perfecit. Notanda autem hic singularis Numinis providentia, quæ factum brevi ante accessum illius ad hoc officium, ut à Domino Superintendente & Magistratu urbico Spectatissimo reditus ex collectis Symbolis dominicalibus (was

im Klingel-Sack einfommt) qui ærario Michaëlitano vindica-
 bantur antè, reparationi rerum sacrarum in templo B. Virginis,
 ad tempus, mancipientur; præsertim cum ultra 3. aut 4. gros-
 sos vix tum una collectione redirent. Confluente autem
 mox majori auditorum numero, qui conciones tam *industriæ* æ-
 què ac *pii Viri in deliciis haberent*, aucta etiam & multiplicata valde
 ipsa Symbola sunt, quibus & hujus Ecclesiæ ærarium ita crevit,
 ut non solum ad renovationem intrinsecus A. 1675. factam, sed
 & ad restaurationem ipsam sumptus non defuerint. Sed ut
 ordine singula persequamur, notandum initio est, ipsos urbis
 Proceres ad reparationem templi hujus, cognita ædificationis
 necessitate, non pronos solum consensisse, sed & manus utriusque
 porrexisse adjutrices, & ita ad præsens illud decus adduxisse tan-
 dem. Laudandum igitur *Excellentissimi Domini Superintendentis*
Lic. Joh. Waltheri; Successoris etiam ejus antea nominati *Pre-*
Nobilissimi Atque Excellentissimi Domini Josephi Friderici de Waldeck,
Virorum encomio nostro majorum præfidiæ est, quorum in-
dultu & adjumento insigni, haut exiguos cæptum habuit succes-
sus; nec prætereunda ipsius *Senatus Spectatissimi Munificentia est,*
cujus jussu non solum Amplissimus atque Consult. Dominus WOLF.
Eckard. Meyer, præfectus olim Xenodochii meritissimus, ligna,
 asseres & quicquid ad ædificationem requirebatur materiæ, ex
 sylva Xenodochiali vel aliunde adgeri curavit gratis; Sed &
 ex ipso laudatissimo modo ordine duo consules *Nobiles atque*
Amplissimi Dominus Nic. Bauer / præfectus nunc Xenodochii
 multum meritissimus, & *Christoph. Carolus Baumgärtel* / læri Æ-
 rarii præfectus & Ædilis Ecclesiasticus immortaliter meritis, &
 consilio æquè ac præsentia frequentiori haut tarda molimini
 dederunt incrementa. Remoto igitur die 21. Aprilis A. 1684.
 veteri & carioso tabulato una cum pavimento atque fulcris illis
 crassioribus, ablatis etiam tignis transversis, murus longitudine
 65, latitudine verò 30, circiter pedes æqvans, ad 4, ejusmodi
 mca-


mensuras surrexit, ut nunc altitudo ipsos 28. pedes habeat. Al-
 tiores m. inde fenestæ versus regiam viam evaserunt binorum
 cubitorum spatio; versus salam verò duæ oblongâ figurâ de-
 nuò apertæ, & lucis sic plus intrò derivatum. Præcipue com-
 memoranda hinc Jobst Elbels fabri lignarii peritia est, qui ita
 prudenter novit inferiora removere tigna & superflua circum-
 circa amputare & ad latera extendere (quod abnehmen und nach
 der Breite heraus raffen / suis terminis vocant) ut exaltationi
 murorū sine motu tecti facile factus sit locus. Novū postea trans-
 versum tignum intercalatum est, quod ne gravitate sua deorsum
 aliqua parte declinet robustissimis & 40. florenis comparatis li-
 gaminibus ferreis superiori juncturæ affixū hæret. Lignæ, quæ
 tabulas sustinent, lineæ longis clavis ferreis ita sunt lignis affi-
 xæ, ut dimoveri possit tessellatum opus, cujus opifices sunt, Joh.
 Herold & affinis ejus Joh. Berch / scriniarii, quibus socias junxit
 manus juvenis Thomas Schlexer. Tantum hac vice de nomi-
 ne & ædificio Templi Xenodochialis, cujus ornamenta atque
 curriculas & reliqua proximè sumus his adjecturi. Interim vix
 omine caret, quod, dum pedem ad ξενώνα promovemus, nobis
 memorati Domini Pastoris ibidem filium, cum aliis duobus in
 Academiam dimittere Lipsiensem officii svadeat ratio; id nam-
 que ideò factum ita arbitramur, ut ansam haberemus, eundem
 Tibi Lector Benevole, eò efficacius commendandi. Quis enim
 eum non complectatur juvenem, cujus parentes pietati se devo-
 vere totos, adeò, ut ad cultam divinum promovendum, omnem
 operam, omnesque cogitationes ultrò conferant, & Quis hunc
 non deamet atque foveat, qui planè rudis non est, nec idem im-
 moratus. Ut verò sic vel hoc etiam nomine, ille facile placere cui-
 cunq; poterit; ita Oratio ejus, quam nihil mutata, à me recitabit
 cras, ut & consuetudo clarè comprobabunt idem. Hunc igitur
 FRANCISCUM CHRISTOPHORUM Meyer / Curientem,
 Parentis optimi haud degenerem filium, de Xenodochio in
 genere Valedictoria Oratione dicentem, ut &

JOHANNEM ADAMUM Trögel / Viri Plurimum Rever.
 atque Clarissimi Domini Joh. Joachimi Trögels / Pastoris
 in Gloschwiz filium unicum, vestigia doctissimi Parentis
 jugiter legetnem, deque *Curienti Xenodochio* differentem,
 & denique

ERHARDUM HEINRICUM Müller / Hirschbergensem,
 gratias benefactoribus ex animo pio, doctoque persol-
 ventem.

Ut gratiose & benevole audiant SERENISS. PRIN-
 CIPIS AC DOMINI NOSTRI NUTRICIQVE CLEMENTIS-
 SIMI Consiliorum Præses Summus, Consiliarius Inti-
 mus Eminentissimus, Exarchus Provincialis Curiaë
 Gravissimus, Illustrissimus Comes ac Dominus, DN.
JOHANNES ALBERTUS, Comes de **RONOV**
 & **BIBERSTEIN**, Dominus in **Oppurg**, **Knau**, **Kro-**
biz & **Grünau**, Dominus noster multum Gratiofis-
 simus; Nec non Viri Maxime Reverendus ac Præ-
 Nobilissimus Dominus **JOSEPHUS FRIDERICUS** de
WALDECK, Hæreditarius in **Culmiz** & **Dœbra-**
Stœcken &c. Pastor Primarius & incorporatarum
 Ecclesiarum Superintendens, Gymnasii item Inspe-
 ctor dignissimus, cum Reverendo plurimum Mini-
 sterio; Nobilissimi, Excellentissimiq; Physicus Or-
 dinarius, Adj. & Medici; Consultiss. Domini Officia-
 les; Urbis Senatus Prudentissimus, Spectatissimus-
 que Gymnasii nostri Patronus & Scholarchæ; nec
 non Honoratissimi Domini Collegæ, Præ-Eximii ac Clarissimi
 Domini Studiosi, omnesque Literarum Patroni & Fautores, ea,
 quæ par est, devotione, & humanitate obnixè regito. P. P.

d. 14. Novembris A. C. 1692.



M. J
C
A
Onor
TH

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

OCERES
ymn. Rector.
ium,
omia-
icationem
IS
ENO.

